



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

In Adamum Keddum Celsißimi Principis Christophori Bernardi  
Monasteriensis Episcopi proditorem. Ode XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Ut Condæ tuo velis , precatur.  
 Ac ne te morer , illa summa voti est :  
 Indignos dominos , jugumque turpe ,  
 Et quicquid reliquum est adhuc Batavi  
 Nobis servitii eximas ; nec ultra  
 Captivam ire finas sub æquor undam.  
 Non injusta peto. Sicamber oras  
 Has enim Pharamundus obtinebat ,  
 Cum pulsus aquilis ad arma gentes  
 Franco nomine liberas vocaret.  
 Ad priscos liceat redire cives ,  
 Sub priscas liceat redire leges.  
 Sic natum videas pater triumphos  
 Exæquare tuos , avus nepotem.  
 Nec longa est opus expeditione :  
 Restant oppida pauca , quæ minaces  
 Non ferent oculos ; manuque forti  
 Vix impulsæ solo dabunt ruinam.  
 Certe dum legitur tibi hic libellus ,  
 Jam fere poteris patrasse bellum.

## IN ADAMUM KEDDUM

*Celsissimi Principis Christophori Bernardi Monasteriensis  
 Episcopi proditorem.*

## ODE XXVII.

**S**ALVO principe salva quid moraris ,  
 Mimigarda , Deo referre grates  
 Custodi patriæque principisque :  
 Quos involvere parricida tecum  
 Et fato & tumulo parabat uno ?  
 Ah ! sæcli opprobrium scelusque nostri !

Heroull.

Ita Monaste-  
 rium Westpha-  
 liz vocant.



Heroum genitrix, parensque Divûm,  
Potes degeneri creasse partu  
Monstrum, cui feritate comparari  
Haud Cacus velit, haud velit Procrustes!  
Ut sic prodicione te nefanda  
Pene fecerit impius nocentem!  
Sed diri invidiam probrumque facti  
Absterfit tibi proprio cruore,  
Teque funere fecit innocentem.  
Tortoris gladio caput recisum,  
Qua vivus meruisset ipse frangi,  
Stat rotam super excubans, suisque  
Nota civibus ora præbet; ora  
Edictura malis metum atque mortes,  
Bonis lætitiâ & beatitatem.  
Turpi membra jugo revulsa pendent  
Ventis ludibrium & jocus protervis:  
Quæ circumvolitans & hinc & illinc  
Corvorum fera turba vulturumque  
Rostris assidue unguibusque carpit;  
Non sine invidia canum solutam  
Lambentum faniem, atque putre virus.  
Sic post fata etiam sibi remissum  
Pendit supplicium, luitque pœnas  
Quas clementia mollior levarat.  
Et impune ferent, probare tantum  
Qui nefas potuere, præmiisque  
Illexere animum & manus latronis?  
Non sic futile fulmen, & retusum  
Fert ensẽ Themis otiosa. Sed tu  
Salvo principe salva ne moreris  
Mimigarda Deo referre grates.

Aa